



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**COLLA=||TIONVM SACRA-||RVM LIBRI VIII.**

**Bredenbach, Tilmann**

**Coloniae, 1584**

**VD16 B 7375**

17. Quomodo Deipara virgo Ioanni Patritio Romano & Liberio Pontifici apparuerit, et miraculo per niuem ostenso, locum nouo templo struendo demonstraui.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52445](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52445)

*Petrus Canisius Theologus lib. 5. cap. 21. de B. virgine Maria. Quomodo Deipara virgo Ioanni Patritio Romano & Liberio Pontifici apparuerit, & miraculo per niuem ostenso, locum nouo templo struendo demonstrarit.*

## CAP. XVII.

**I**Oanni Patritio vereq; nobili Ciu Romano, gloriosa virgo per quietem oblata est, simulq; monuit, qua ratione suas ille opes optime collocaret, sicut ille iam pridē scire desiderabat. Atque vt certior constaret fides apparitioni, eadem virgo Liberio Pontif. Max. nocte astitit, & similia monita repetiuit, magno miraculo statim subsequente. Etenim in maximis illis caloribus, qui ardente canicula urbē infestare solent, nix copiosa, & prorsus intempestiua cecidit, partemq; collis Esqueline cōtexit, simulq; locum ad structuram noui templi cōmodum demonstrauit. Atque hoc foelix illius Ecclesiæ principium fuit, quæ cæteris omnibus sub Mariæ nomine Romę cōditis præstat, & sanctæ Mariæ maioris titulo in hunc vsq; diem decoratur. Nec opus est hanc apparitionem ab Antonino alijsq; confirmatâ ostēdere, quam vniuersaria festi celebratio, à niue nomen accipiens, totq; retinens sæculis, luculenter comprobatur.

*Nice.*